

CAP. I. *)

Sanus homo, cuius solido stat robore corpus,
Cuique sua aetatem degere sponte licet,

Nul-

*) Pleraque hujus capitinis praecepta etiam HELIUS EOBANUS, HESSUS, clari nominis poëta, in bonae valetudinis conseruandae praeceptis, quae, nitide, excusa, Parisiis ex Simonis Colinaei officina 1533. 8. prodierunt, fol. 5. col. a. et b. elegis latinis expressit, quos protinus subiiciam, ut nostros cum illis conferre liceat.

Sanus es, et nullis confectus corpora morbis,

Et tuus es, nec te iussa aliena trahunt,

Nullius obstricatus Medicorum legibus esto.

Deformet corpus nullus alipta tuum.

Quin potius varium vitae seclare tenorem,

5

Teque tibi similem ne patiare diu.

Nunc urbana potes traducere negotia, saepe

Rura, graues casus non habitura, petes.

Mille voluptatum species tibi rura ministrant:

Non aliquo poteris sanior esse loco.

10

Nunc timidum longa captabis arundine piscem,

Nunc vdo aëream vimine fallis auem.

Nunc errare greges pecudum spectabis ab alto

Vertice, nunc silvas frigidaque antra subis.

Nusquam commodius, quam viuere rurs beato.

15

Illa potest ipsos vita decere Deos.

Felices, quos rura iuuant, quibus illa voluptas

Contigit: hoc optem viuere posse modo.

Hac ego vel Croesos vita mutare ducentos,

Hac nolim Phrygii ditia regna Midae.

20

Nullius legis patiatur vincula , sitque
 Nullus ei Medicus, nullus alipta , domi.
 Non vno eiusdem decurrere vita tenore , 5
 Sed permutatas debet habere vices.
 Ergo nunc abeat rus , nunc versetur in vrbe,
 Sic tamen , vt malit visere creber agrum.
 Nunc rate gestetur , nunc , cum cane saltibus errans,
 Excitas agitet per sua lustra feras. 10

Otia

Saepe heic profuerit placidae induluisse quieti:
 Saepius at sanis praeſtat agenda dari.
 Perdit enim validas vecors ignavia vires:
 Confirmat modicus restituitque labor.
 Illa senectutem citius , quam debuit , adfert: 25
 Hic aei florem donat adesse diu.
 Interdum thermas, interdum frigida inibis
 Balnea: saepe ungues corpora , saepe minus.
 Saepe cibis tuto poteris vulgaribus vti:
 Saepe frequens, alio tempore solus eris. 30
 Non numquam plus, quam decuit, sumisse ciborum,
 Nunc potes audacem non habuisse gulam.
 Utlius multum, qui concoquit omnia , sumit.
 Nulla quidem sanis regula certa datur.
 Haec poterunt seruare alacres, et corpore firmi: 35
 Ius libertatis nullius aeger habet.
 Sanus es, auxilium noli consumere morbi,
 Vt, si forte cadas, tu medeare tibi.
 Nam cito destituunt consumtae corpora vires:
 Restituunt validae quamlibet aegra sibi. 40

Otia non numquam duxisse, frequentius autem
 Iusto exercitio membra mouere iuuet. *)
 Reddit enim effetas torpens ignauia vires:
 Robustas contra seruat alitque labor.
 Illa quidem canos properat tristemque senectam: 15
 Hic facit, ut vireat laeta iuuenta diu.
 Prodest interdum calido residere lauacro,
 Interdum gelida mergere corpus aqua.
 Nunc artus liquido tractandos vnguine curet,
 Nunc sicciam tinguant pinguia nulla cutem. 20
 Quum positae mensis epulae sunt, omne ciborum,
 Quod populus sumit, sumat & ipse genus.
 Nunc adeat festo conuiua laeta tumultu,
 Nunc ab iis retrahat se, maneatque domi.
 Ventriculum dapibus modo replete amplius aequo, 25
 Nunc rursus caueat transiluisse modum.
 Nec vero instituat sola se pascere coena,
 Sed potius capiat bis alimenta die.
 Ipse cibus semper, bene dum modo concoquat illum,
 Tantus sit, quantus maximus esse potest. 30
 Ut vero, qui se recte cupit esse valentem,
 His exercitiis indiget atque cibis:
 Sic athletarum ritu illum viuere nolim,
 Iure timens, ne quid contrahat inde mali.
 Ciuilis vitae rationes ordine sueto
 Nostra exerceri corpora saepe vetant. 35

*) Melius LINDENIANAE lectioni respondebit hoc distichon, si id sic refinxeris:

Otia non numquam sectari blanda, frequenter
Iusto exercitio membra mouere iuuet.

Raro autem, ac potius numquam, iterrumpitur iste,
 Quin tacito subeat noxa molesta pede.
 Adiice; quod citius senio morbisque patebit,
 Quicumque illorum more repletus erit. 40
 Concubitus sicut nocet immoderata cupiditas: *)
 Sic haud pernixium conuenit esse metum.
 Adspicis, ovt corpus moderatior excitet usus,
 Et contra soluat non moderatus idem.
 Nec vero, Veneris quae possit iusta vocari 45
 Mensura, e numero constituisse licet.
 Natura illius potius pro corpore, quoque
 Aetate, est animo dispicienda tuo.
 Numquam autem coitus, nisi si dolor inde mouetur,
 Aut languor sequitur, noxius esse potest. 50
 At, dum Phoebus adhuc lucet, cohibenda libido est:
 Tuttior esse solet, nocte silente, Venus.
 Sed si clinopalias poscet tentigo diurnas,
 Mox ab iis veniat nullus in ora cibus.
 Atque a nocturnis etiam vitesque laborem, 55
 Et placido refici membra sopore sinas.
 Praecepta haec memori seruent sub mente reposta,
 Quorum sunt firmis corpora texta fibris.

Ac,

*) Has de concubitu obseruationes EOBANUS l. c. fol. 4.
 col. a. ita expressit:
 Quaeritis, an Veneri liceat parere vocanti?
 Heic quoque erit certus, sicut ubique, modus.
 Multa Venus vires exhaustit, spiritibusque
 Noxia, consumit corpora mille modis.
 Rara leuat corpusque iuuat Venus: optima vita est,
 Quae neque casta nimis, nec nimis est petulans.

ste
Ac, sani dum sunt, vires consumere parcānt, 12
Quae morbis valeant tristibus esse pares. 60

40 *do silicem silicem mithiles silicem vni
pusiles silicem silicem si 10. mithiles.*
23 **CAP. II.**

45 *oib nislo idz zut dossq oib 37*

Nunc et eos, quorum fibra est infirma, docebo, *)

Quid, corpus sanum quo tueantur, agant.

Hoc autem in numero fere sunt, qui, moenibus urbis

50 *oib Inclusi, numquam rura beata vident,*

Et modo non omnes illi, qui, sacra colentes 65

Musarum, versant nocte dieque libros. *oib 89*

Horum etiam maior regat obseruatio victum,

Quam quorum valido robore membra vigent,

Corporis ut quidquid ratio, studiive, lociye,

Detrahit, id curae restituatur ope. 70

Ergo ex his, sumtas bene qui concoxerit escas,

Tuto se poterit mane leuare toro. *sup. 11*

Qui vero minus, fac par est, confecerit illas,

Perfundit placida membra quiete sinat,

Et matutinum res surgere si qua coëgit, 75

Molli iterum somno lumina mersa tegat.

Sin autem omnino non est concoctio facta,

Ex toto requies lenta petenda venit.

Nulli exercitio corpus nullique labori

Credendum est: operis mens agat ipsa nihil. 80

zutur zutur do enzut do A 5 supman a Si dia

*) Ex LOMMII et VALARTI mente scribendum fuit:

Nunc hos, qui stomacho sunt debiliore, docebo.

Si crudi ructus sunt, et praecordia nullus
 Infestat morsu discruciantे dolor,
 Ex interuallo gelidam potasse necesse est
 Lympham, et se nihilo continuisse minus.
 Quas habitas aedes, sic debent esse locatae, 85
 Vt toto pateat lux tibi clara die;
 Vt Zephyris liceat blando has perflare fusurro,
 Quum tostos findit Sirius ardor agros;
 Vtque illis Phoebus radios immittere possit,
 Quum fraenata acri constitit vnda gelu. 90
 At quum sol medium coeli tenet arduus orbem,
 Qua potes, illius lucida tela fuge.
 Nec fuge non pariter frigus penetrabile, ponto
 Seu condat Titan, siue reducat equos.
 Praeterea, fluii quam stagnantesque paludum 95
 Exspirant latices, aura cauenda tibi est.
 In primis autem te Phoebo exponere noli,
 Nubila qui subitus per tenebrosa micat.
 Namque ita nunc frigus, nunc aestus, corpora tentat,
 Portaque non paucis stat patefacta malis. 100
 Acres praesertim res concitat ista catarrhos,
 Et facit, vt nares dura coryza grauet.
 Haec grauibus seruanda locis magis esse memento,
 In quibus et pestem progenerare solent.
 An vero recte dici integra corpora possint, 105
 Inspecto vrinae scire colore datur.
 Albus si numquam non mane est, postea rufus,
 Signum non fallax integratis habes.
 Ille quidem stomachum munus praestare coquendi,
 Hic autem coctos indicat esse cibos. 110

Somno experrettus paullum intermittere debes: 11
Mox large gelidis os foueatur aquis.
Verum hoc auxilio tunc tantum conuenit vti,
Quum non dum immodico frigore laedit hiems.
Somno si longis vis indulgere diebus, 115
Quum medio currum limite Phoebus agit,
Ante cibum id potius fac, si — — — —
— — — — — — — — — — — —
Sin minus, in vacuum prius ingere pabula ventrem,
Quam laffati artus dulce cubile petant. 120
Sed pigra quum spatium contraxit bruma dierum,
Totis te foueat noctibus alma quies.
Nulla statim a pastu sit lucubratio *), sed tunc,
Quum iam confectos fenseris esse cibos.
Si te per lucem tenuere negotia, quae vel 125
Ciuale officium, vel domus ipsa, dedit,
Seruandum est aliquod tempus, quo corporis esse
Curandi possit copia plepa tibi.
Sed prima illius curatio poscit, vt artus
Motu exerceri conueniente velis. 130
Hoc autem vtiliter sub ea tantum modo lege
Fiet, si nullas carpseris ante dapes.

Ipsum

*) Produxo primas huius vocabuli syllabas, praeter
~~irrumpit~~, MARTIALIS auctoritatem secutus, apud quem par-
ticipium lucubrata epitritus quartus, sive spondeo - cho-
reus, est. Lib. IIII. Epigr. LXXX. v. 9.

Haec dat nocturnis nox lucubrata Camoenis. Eamdem-
que syllabarum istarum modulationem praecipit PAULLUS
ALERUS, quum Prax. poët. Part. III. Cap. I. §. VI. pag. 152.

par-

Ipsum exercitium refert nunc acrius esse,
 Nunc lene, et certo fine modoque regi.
 Acre sit; exigui si praecessere labores *), 135
 Et bene concoctum constitit esse cibum:
 At sit lene, labor si te lassavit iniquus,
 Et confecisti fereula sumta parum.
 Sed nunc porro (animum dictis aduerte) docebo,
 Quaeis exercitiis te studuisse velim. 140
 Utulis est clara librorum lectio voce,
 Et vibrare agili conuenit arma manu;
 Et prodest agitare pilam, et contendere cursus
 Expedit, et lento proficit ire pede.
 Longe autem praestat species haec ultima motus, 145
 Si non omnino per loca plana ferat,

Et

participium lucubrans in pedum molosorum numerum re-
 fert. Peccat igitur contra legem Pediam versus EOBANI
 fol. 3. col. b. in quo idem participium anapaestus est:

A coena lucubrans unam ne exceferis horam.
 Quem facile sic emendaueris:

Horam, lucubrans a coena, excedere noli.

Vel:

Vnam coenatus lucubra, haud amplius, horam.

*) Quibus Lindenii scriptura melior videbitur, hunc
 versum cum tribus illis, qui proxime sequuntur, sic legant:
 Lene sit, exigui si praecessere labores,
 Et bene concoctum constitit esse cibum.
 Acrius adsueti subeant, quorumque subegit
 Debilior stomachus fercula sumta parum.

Et magis, adscensus quoque descensusque subinde
 Mutata melius si moueare vice. *)
 At magna corpus si debilitate laborat,
 In solis planis conficietur iter. 150
 Insuper vtilius nudi sub tegmine coeli,
 Quam sub porticibus, fersque refersque gradus.
 In sole vtilius, quam nigra incedis in vmbra,
 Sic tamen, adficiant si mala nulla caput.
 Vmbram autem paries laetumue virentia fundant: 155
 Si suberit tecto, proderit illa minus.
 Atque etiam recto procedere tramite praestat,
 Quam variis flexas orbibus ire vias.
 At motus, quacumque voles ratione moueri,
 Donec sudabis, continuandus erit, 160
 Aut certe, donec lassabere, nec tamen vllum
 Languorem corpus sentiet inde sequi.
 Sed, quem corporibus statuunt mea dicta mouendis,
 Nunc maior debet, nunc minor esse modus.
 Namque nec infirmis certae omni tempore, sicut 165
 Athletis, leges sint, nimiusue labor.
 Iusto exercitio postquam es defunctus, ad artus
 Vnguendos recte transitus esse potest.
 Sed refert illos radiis exponere solis,
 Aut igni, cuius plurima flamma micet, 170
 Interdum vero non tangant vnguina corpus,
 Sed potius calidis membra lauentur aquis;
 Id-

*) Ad vulgatam lectionem hoc distichon adcommodabitur, si leges:
 Quandoquidem adscensus quoque descensusque subinde
 Mutatis vicibus, motus erit melior.

Idque in conclavi celso, lateque patente,
 Et quod collustret lux face multa sua.
 Verum ex his neutrum semper *) fac, saepius
 autem, 175
 Prout natura feret corporis, alterutrum.
 Sed post haec opus est, paullisper ut otia corpus
 Carpere, tranquilla plena quiete, finas.
 Sumendorum autem quum venerit hora ciborum, **)
 Sollicite, nimium ne saturere, caue. 180
 Hinc vero ut semper noxae nascuntur acerbae:
 Sic raro prodest abstinuisse nimis.
 Si quando leges fueris migrare coactus,
 Queis sine sobrietate salua manere nequit,
 Plus esca nimia stomachum replesse nocebit, ***) 185
 Quam nimium largo permaduisse mero.
 Salsamenta autem debent, et oluscula, resque
 Consimiles, primum suppeditare cibum.
 Vescendum post haec est carnibus, ex quibus affa,
 Aut elixa, aliis anteferenda venit. 190
 Omni-

*) Qui LOMMIUM et VALARTUM sequi manult, is legat:
 Verum ex his neutrum crebro fac, crebrius autem.

**) Hunc tresque proximos versus EOBANUS l. c. fol. 4.
 col. a. breuius sic expressit:

*Vt peccat, stomachum qui mole grauauit iniqua:
 Sic plerumque nimis continuuisse nocet.*

***) Ex LOMMI sententia scribendum erat:

Esca saepe minus stomachum replesse nocebit.

Ex LINDEMII et KRAUSII :

Esca saepe magis stomachum replesse nocebit.

Omnibus abstineas conditis: quippe durabus 200
 De causis noxas illa creare solent. officis quo
 Namque fere (irritat cupidum dulcedo palatum)
 Nullum in sumendis scis adhibere modum.
 Dein etiam, modice quamuis ingesseris illa, 195
 Aegre vincuntur, ventriculumque grauant.
 Si stomachus bonus est, ac iusto robore pollet,
 Nil illi noxae mensa secunda parit.
 Sed facile haec eadem rursus coacescet in illo,
 Si contextus erit debiliore fibra. 200
 Quorum igitur stomachus, languore solutus inertis,
 Par nequit officii partibus esse sui,
 His palmae fructus, et poma, et cetera, quae sunt
 Talia, sub primo sunt comedenda cibo.
 Multos quum calices siccari, amore bibendi 205
 Compresso, escarum conuenit esse nihil.
 Postquam te plene saturatum senseris, alta
 Otia debebis desidiamque sequi.
 Expletus venter quoties nihil adpetet ultra,
 Ut promte superet conficiatque dapes, 210
 Quidquid cepisti, quum iam desurgere mensa
 Tempus erit, gelidae potio claudat aquae.
 Tum paullisper adhuc vigilantia lumina serua,
 Dein placidi somni gaudia plena cape.
 Si, dum lux nitida collustrat lampade terras, 215
 Implerunt stomachum pabula larga tuum,
 Pastum ne corpus calor aut mala frigora tentent,
 Funganturue vlo membra labore, caue.
 Nam repletus homo citius laedetur ab istis,
 Quam qui ventriculo nil dedit ante cibi. 220

Si quas ob causas instant ieunia, nullum,
Quo delafferis, fuscipiat opus.

CAP. III.

Mactenus exposui generalia: nunc, quid agendum
Sub certa veniat conditione, canam.

Incidere haud raro noua res confueuit: eamdem 225
Naturam quoduis corpus habere nequit:

Aetates inter multum est discriminis: annus
Denique per varias itque reditque vices. *)

Singula quin poscant, proprie quae spectet ad ipsa,
Viuendi normam, quis dubitare potest? 230

Non tutum est mutare locum grauiore salubrem,
Nec mutantem aliter nulla pericla manent.

Sed tamen utlius, bruma incipiente, salubrem
Mutas, quumque aestas incipit alma, grauem.

Magna fames longo si tempore pressit, ab illa 235
Mox nimis epulis se satiare nocet.

Nec tutum est, stomacho si copia larga ciborum
Infulta est, nimiam mox tolerare famem.

Siue semel, seu bis, spatio replere diurno
Confuerunt ventrem fercula grata tuum: 240

Inuerso si more, die te bisue semelue
Immodice exfaturas, noxa parata tibi est. **)

*) Vulgatam scripturam hoc modo exprefseris:
Non idem sexus, neque par est omnibus aetas:
Annus per varias itque reditque vices.

**) Secundum VALARTUM scribere debui:
Continue exfaturas, noxa parata tibi est.

Ac quoque, si nimios fudasti forte labores,
 Otia non tuto blanda repente petes.
 Nec paruum discrimen adis, post otia longa 245
 Praegraue si subito membra fatigat opus.
 Ergo paullatim debes adsuescere, si quid
 Mutari in vietu resque locusque iubent.
 Omnem etiam citius poterit durare laborem
 Suetus, siue senex, seu puer inualidus, *) 250
 Quam si quis non est adsuetus, siue iuuenta
 Florens, seu firmo robore conspicuus.
 Hinc quoque vita nimis deses nequit utilis esse,
 Quum res olim aliquod poscere possit opus.
 Si tamen insuetus tolerasti quando labores, 255
 Aut adsuetus eos, qui solitos superent,
 Lassatos artus placido permitte sopori,
 Sed sic, sumatur nullus vt ante cibus.
 Et multo magis hoc etiam seruetur, amaro
 Si linguam bilis flava sapore ferit, 260
 Vel caeca obducit caligo lumina nube,
 Aut foeda impuro stercora ventre fluunt.
 Tunc et ieunus dormi, et, nisi sustulit illud
 Prima quies, etiam luce sequente mane.
 Quod si sublatum est, de lecto surgere debes, 265
 Atque breuem lentis passibus ire viam.
 Sin autem, modici quia praecessere labores,
 Non fuit, vt somno perfruereris, opus:

Cu-

*) Ex vulgata scriptura legendum est:
 Vel senio fessus, vel puer inualidus.

Curandum tamen est, vt, quo paecepimus, illo.
 Incessus aliquid dimoueare modo. 270
 Deinde, fatigatus quisquis grauiore labore,
 Amissas vires vult reparare cibo,
 Postquam non multos tardo fecit pede gressus,
 Balnea si deerunt, queis sua membra lauet,
 In sole unguatur, vel viuum admotus ad ignem, 275
 Et toto elicitus corpore sudor eat:
 Sed si balnea erunt, tepidari ante omnia limen
 Intret, ibique sedens, otia lentes agat;
 Postquam autem paullum requieuit, balnea in ipsa
 Descendens, solii blanda lauacra petat. 280
 Deinde oleae pingui non parce vnguenda liquore,
 Et leni curet membra fricanda manu,
 Atque iterum folio descendat, postea limphis
 Os primum calidis, tum gelidis, soueat.
 Balnea, quae feruent, vitari multa grauisque, 285
 Ex vsu illorum noxa timenda, iubet.
 Vnde, fatigauit quem sic labor improbus, vt se
 Paene ipsa adfectum sentiat esse febre,
 Ille loco tepido calidas demittat in vndas,
 Queis oleum adspersum est, inguine membra tenus.
 290
 Dein totum corpus, praesertim, quatenus illud
 Texit aqua, ex oleo dextra tenella fricet.
 Palladiis autem refert vinum addere succis,
 Cumque hoc contriti pondera parua salis.
 Haec sat sufficiunt. Sed post haec omnibus aptum est
 295
 Sumere, qui recreet corpora lassa, cibum.
 Fer-

Fercula, quae sument, sint humidiora, sitisque,
Si qua premet fauces, excutiatur aqua.
Qua si non fuerint contenti, vina licebit,
Sic tamen, vt limphis sint sociata, bibi. 300
Prima autem virtus potus cuiuslibet esse
Debet, vt vrinae falsa fluenta citet.
Si cui sudorem nimii expressere labores,
Frigidus huic potus perniciosus erit. *)
Quosque fatigauit via longior, his quoque, quamuis
305 Sudores manent parcus, ille nocet. **)
Huic etiam, gelidum qui mox post balnea dicit
Potum, Asclepiades tristia damna timet. ***)
Haec in nonnullis fateor contingere posse:
Nulli non illinc esse pericla, nego. 310
His, quibus ex facili, neque tuto, soluitur aluus,
Qui facile horrescunt, vtilis esse nequit:
Sed rursum, stomachi quin tuto finiat aestum,
Natura illius nos dubitare yetat. *****)

Nec

*) Si LINDENIUM sequi mauis, lege:

Huic adfert noxas frigida pota graues.

**) Ex LINDENII mente scribendum est:

Sudores manent parcus, illa nocet.

*** Secundum eumdem hoc distichon sic refinge:

Huic etiam, gelidam qui mox post balnea dicit
Limpham, Asclepiades tristia damna timet.

****) LOMMIT, LINDENII, KRAUSII, & VALARTI scri-
pturam hoc modo exprime:

Sed per naturam stomachi refrigerat aestum
Potio: frigenti redditur inde calor.

Nec vero vel sic cuiquam, sudore madenti, 315
 Ut gelidos potus hauriat, auctor ero. *)
 Post varias epulas, dilutaque pocula crebra,
 Sperare ex vomitu commoda magna licet.
 Luce sequente, quies vbi longa refecerit aegrum,
 Membra exercitio sunt agitanda leui. 320
 Si labor est aliquis, demto qui fine fatigat, **)
 Alternis lymphas & mera vina bibe.
 Quod si, num possint adhiberi balnea, quaeris,
 Non saepe his vti, tutius esse puta.
 Nec corpus, quod forte labor laffavit iniquus, 325
 Idem mutatus non releuare solet,
 Nec, si quem pressit noua quaedam forma laboris,
 Consuetum vires non reparabit opus.
 Tutius excipient consueta cubilia fessos:
 Ex inconsuetis corpora languor habet. 330
 Nec vero refert, sint mollia, durave. Neutra,
 Si mori solito sunt aliena, iuvant.
 Nunc praecepta aliquot, proprie spectantia ad illum,
 Laffavit nimium quem via longa, dabo.
 Huic ipso, quo pergit iter, sub tempore vires 335
 Consumtas pensat frictio crebra nouis.
 Post iter excipiat defessum molle sedile,
 Vnguina perducant pinguia deinde cutem.

Bal-

*) Secundum LINDENIUM & VALARTUM scribe:
 Auctor ero, vt gelidis guttur inundet aquis.

**) EX LINDENII & VALARTI mente scribi oportuit:
 Adsidua oscedo si diducta ora perurguet.

Balnea tum visat, calidoque in fonte lauetur,
 Sed sic, vt foueat membra superna magis.*^o 340
 Quem vero solis radii exussere flagrantes,
 Protinus haud cunctans balnea blanda petat,
 Atque in iis succo, quem pressa remittit oliua,
 Perfundat corpus, praecipueque caput:
 Tum folio multum calido descendat, ibique 345
 Per caput infusis membra rigentur aquis.
 Verum ea, qua prima madefiunt, vnda calere,
 Quae post ingeritur, debet habere gelu.
 Si perfixisti, veniens in balnea, veste
 Tectus, dum sudor cooperit ire, sede. 350
 Post haec vnguendi sunt artus, deinde lauandi:
 Escae sint modicae: vina meraca bibas.
 Quos vero, naui gestatos, nausea pressit,
 Si bilis vomitu reddita multa fuit,
 His opus est vel nil prorsus gustare ciborum, 355
 Vel certe exiguae mandere dente dapes.
 Si pituitam acidam fuderunt, sumere victum
 Debent, sed sueto sit magis ille leuis.
 Cui vomitus expers turbauit nausea ventrem,
 Abstineat, vel mox pabula capta vomat. 360

Cur-

*) Secundum LINDENII lectionem hoc distichon sic exprimendum fuit:

Tum calidis vtatur aquis, aut balneo, iisque
 Immergens foueat corporis ima magis.
 Secundum KRAUSIANAM scripturam hoc modo legen-
 dum est:
 Balnea tum visat, calidoque in fonte lauetur,
 Sed sic, vt foueat corporis ima magis.

Curru, vel circo, si te lux tota sedentem
 Vedit, nil curras, sed pede latus eas.
 Vtiliterque morae segnes in balneo agentur:
 Dein coenam praestet mensa maligna breuem.
 Aestu correptus, dum balnea visis, acetum, 365
 Quod fugientem animam retrahat, ore tene.
 Hoc si forte cares, simplex aqua frigida, eodem
 Sumta modo, auxilium pollicitatur idem.
 Vnum quemque autem sanorum ante omnia refert
 Gnarum naturae corporis esse sui. 370
 Quidam sunt graciles, aliis est corpus obesum:
 His calor est, illis frigus abundat iners.
 Huic humor supereft, contra ille est siccior: aluus
 Huic adstricta, alii laxior esse solet:
 Vixque vnum inuenies inter tot millia corpus, 375
 Quod firmum ex omni dicere parte queas.
 Corpore qui tenui est, is se replere laboret:
 Contra se tenuem reddere plenus homo.
 Cui nimius calor est, is se refrigeret: at qui
 Frigidus est, nil non, quo calefiat, agat. 380
 In quibus humorum nimium est, fac corpora siccis:
 Siccis humorem conciliare stude.
 Quae nimis adstricta est aluus, laxetur, oportet:
 Contra firmetur, quae sine more fluit.
 Numquam non illi debes succurrere parti, 385
 Quae plus, quam reliquae, debilitatis habet.
 Implebit sese, modice qui membra mouebit,
 Qui requiete finet crebrius illa frui,
 Vnguina qui sumet, qui balnea pransus inibit,
 Aluum cui faciet fluxio nulla citam, 390
 Cui

Cui non immodico stringetur frigore corpus,
 Obruta brumali quum niue rura latent,
 Dulcia qui pleni captabit gaudia somni,
 Sub lege hac, vt ne protrahat illa nimis,
 Cuius, quum placidae volet indulgere quieti, 395
 Excipiet fessum molle cubile latus.
 Nullas follicito qui voluet pectore curas,
 Sed tradet tepidis in mare ferre notis,
 Qui res, queis dulcis, vel pinguis succus inhaeret,
 Praecipue in potus eliget inque cibos, 400
 Qui simul & crebras, & tantas ingeret escas,
 Quantis ventriculum senserit esse parem.
 Extenuat se, qui calidam descendit in vndam,
 Praesertim, adiectum si vehit illa salem,
 Balnea qui ieunus init, qui sole peruri,
 Vel quoquis alio membra calore sinit,
 Quem variae ancipiti curae sub corde fatigant,
 Qui noctis ducit tempora longa vigil,
 Qui vel, quae somno debentur, contrahit horas,
 Vel spatii iusto plus super addit iis, 410
 Qui dormiturus non plumea strata requirit,
 Sed duro adsueuit terga locare toro. *)
 Qui longos cursus init, & gressu ambulat acri,
 Atque exercitio se vehementer mouet,

Qui

*) Vulgatam scripturam si sequi mauis, hoc distichon
sic refinge:

Cui nuda aestiuo lectum dat tempore tellus,
Et durum hiberno terga cubile premit.

Qui vomitu exonerat stomachum, qui deiicit aluum,

Qui multum austeras res acidasque capit,
Atque die semel id facit, & consuevit inani
Non nimium frigens sumere ventre merum.

Sed vomitus quia præcipue & deiectio corpus
Extenuant, super his dicere plura libet.

Librum Asclepiades, auctor bonus, edidit, in quo,
Quomodo seruentur corpora sana, docet.

Damnat in hoc vomitum, multis rationibus vtens,
Vitarique atro cautius angue iubet.

Laudo, si notat hos, turpi qui more diebus
Omnibus, vt valeant multa vorare, vomunt.

Idem paullo etiam procedit longius: ipsa,
Quae purgant aluum, pharmaca nempe vetat.

Et dubium non est, quin, si violentior horum
Actio sit, noxas mille creare queant.

Nec tamen ex toto fiat reiectio. Saepe
Corpora iis vti, tempora saepe iubent.

Verum eadem numquam, nisi quum res exigit, et tunc
Non nisi, quo par est, sunt adhibenda modo.

Hinc quoque nos auctor iubet ipse expellere, si quid

Cooperit a sano degenerare statu.

Ergo haud omnino res est reprobanda, parique
Olim Asclepiadem mente fuisse patet.

Sed plures etiam possunt causae illius esse,
Et subtile usus postulat ingenium.

Tutior est vomitus, quum coelum frigore torpet,
Quam quum feruentes excoquit aestus agros.

Nam

Nam tunc et lentae pituitae copia maior,
 Et capitis grauitas amplior esse solet.
 Quos macies tenuat, qui debiliore laborant 445
 Ventriculo, his vomitus commoda nulla parit.
 Sed prodest illis, queis multo corpora pingui.
 Sunt differta, et quos horrida fellâ grauant,
 Si vel se nimia replerunt mole ciborum,
 Vel vis ventriculi non bene coxit eos. 450
 Nam seu plus sumtum est, quam vinci possit ab illâ,
 Corrumphi id longis ne patiare moris:
 Ingestam seu iam subiit corruptio massam,
 Qua primum hanc poteris pellere, pelle via
 Ad vomitus igitur mox confugiatur, amaro 455
 Si foedi ructus ora sapore replent,
 Et dolor infestus praecordia vexat, et ipse
 Non solita sentis haec grauitate premi.
 Proderit et vomitus, si pectoris incidet aestus,
 Si squalente frequens ore saliuâ fluet, 460
 Nausea si stomachum quatient nixusque vomendi,
 Auris si sonitu tinniet ipsa suo,
 Lumina si falso lacrimarum rore madebunt,
 Si linguae impressus tristis amaror erit.
 His etiam, coelum qui mutauere locosque, 465
 Auxilium vomitus non mediocre feret,
 Nec minus his, quorum dolor in praecordia faeuit,
 Si per complures non vomuere dies.
 Vulgo curantes haec inter blanda quietis
 Munera praecipiunt membra per aegra dari. 470
 Sed, quae interueniunt peragenda, negotia saepe
 Non paucis obstant, quo minus illa petant.

Adiice, quod, iussa quamuis requiete fruantur,
 Non eadem vtilitas omnibus inde venit.
 Ergo vti confiteor, vomitum non esse ciendum, 475
 Ut noua luxuries hinc alimenta trahat :
 Sic idem (satis hoc docet experientia) multum,
 Sana vt seruentur corpora nostra , valet.
 Sed neque firmus erit , neque seros viuet in annos,
 Qui nullo adsueuit non vomitare die. 480
 Qui vomere a coena vult , si facile id facit , ante
 Nil præter tepidam sumere debet aquam.
 Sin aegread vomitum stomachus stimulatur, ad illam
 Paullum vel mellis , vel salis , adiiciat.
 Si matutino es vomiturus tempore , mulsi , *) 485
 Vel cocti hyssopi , non nihil ante bibas ,
 Aut comedenda tibi est acris radicula , deinde ,
 Ut supra scriptum est , limpha trahenda tepens.
 Cetera , quae veteres heic præcepere magistri ,
 Omnia , quum stomacho sint inimica , fuge. 490
 Si quis , vbi ejectum satis est , vomitusque quierunt ,
 Ventriculo sentit roboris esse parum ,
 Esca huic non nimium larga est gustanda , sed apta ,
 Et frigens cyathis vnda bibenda tribus.

Cui

*) EX LINDENII , KRAUSII , et VALARTI mente hic
 versus cum duobus sequentibus sic exprimendus est :
 Si matutino es vomiturus tempore , vini ,
 Quod mel turbavit , non nihil ante bibas ,
 Aut escae hyssopum sit , vel radicula , deinde .

Cui vero vomitus fauces aspredine quadam 495
 Adfecit, gelidis abstineatur aquis. *)
 Qui vomitu moto prima sub parte diei
 Ventriculo haerescens euacuauit onus,
 Passibus incedat lentis, tum membra perunguat,
 Dein veniat modico coena parata cibo. 500
 At si quis vomuit post coenam, luce sequente
 Se lauet, et lotu corpore sudor eat.
 Proximus huic melior cibus est mediocris: at idem
 Sit talis, quo nil siccias inuenias.
 Cum pane hesterno detur, cum carnibus assis, 505
 Hisque austera super vina meraca bibas.
 Si vomitum quis forte volet bis mense ciere,
 Non paullo melius consulet ille sibi,
 Binorum hunc spatio si continuare dierum
 Malet, quam decimo sexto iterare die, 510
 Idque ita, si pectus nulla grauitate premetur.
 Nam vomitus omnem respuit ista moram.
 Nec medicamento fieri deiectio ventris
 Non debet, reddit si nimis ille parum,

At-

*) Secundum LOMMIUM, KRAUSIUM, et VALARTUM hoc
 distichon sic refingendum est:
 Si vero fauces vomitus vexauit, et inde
 Illarum asperitas acris oborta fuit.
 Secundum Lindenium autem hoc modo:
 Quandoquidem vomitus fauces vexauit, et harum
 Aspredo ex illo fonte suborta fuit.

Atque hinc distendunt stomachum intestinaque
flatus, *) 515

Et caligo atra lumina nocte tegit,
Ac furiosa caput vexant tormenta dolorum,
Atque alii adfectus corporis alta petunt.
In cassum haec inter mollem captare quietem
Aegros, aque cibis abstinuisse iubes. 520

Nam plerumque per haec consuerunt illa moueri: **)
Vnde, ea nil quidquam posse iuuare, liquet.
Aluum compressam quisquis vult soluere, primum
Vina, hoc quae praestent, ingerat atque cibos.
Quae si non tantum, quantum res poscere visa est, 525

Profecere, aloë debet amara capi.
Sed tamquam vomitus, sic et purgatio raro,
Et tantum ob causas est adhibenda graues.
Namque is, cui ventrem nimium purgare frequenter
Mos erit, arcesset certa pericla sibi. 530
Corpus quippe nihil nutriri adsuescet, et omne
Exiguo exhaustum tempore robur erit.

Cuilibet offensae nam male firma patent ***)
Mem-

*) LOMMIT, KRAUSII et VALARTI scripturam qui probabit, is legat:

Atque hinc incubit cuidam inflammatio parti.

**) LOMMIT sententiam exprefferis, si rescribas:

Namque haec consuerunt plerumque per illa moueri.

***) Hoc tetraстиchon, id est, hic versus cum tribus illis, qui proxime antecedunt, ex TARGAE mente in distichon coartari debet. quod tale exhibeo:

Nullo quippe frui adsuescet nutrimente corpus:

Nulli non morbo nam male firma patent.

ue
515 Membra calore nouo replet yncio, limpha, remisso 535

Plena sale, in primis, si satis ipsa calet.

Quidquid conditum largo sale, quidquid amarum est, *)

Adpositis coenis, multa comesa caro.

Balnea, quum iustis ventrem satiaueris escis,

Intrata, austeri pocula plena meri. 540

Inducunt contra frigus, minuuntque calorem,

Balnea, non sumtis ante, petita, cibis

Leiuni somnus, nisi iustas transilit horas,

Gustandi sensum quidquid acore ferit.

Et latices, summe gelidis e fontibus hausti, 545

Et commixtus aquae, quem dat oliua, liquor.

Humectum si quis corpus vult reddere, fine **)

Id moueat modico; balnea crebra petat;

Vngua-

*) Secundum LINDENIANAM scripturam hic versus cum sex sequentibus sic exprimendus est:

Ingestae, largus quas sal conduerit, escae,

Et pota austeri pocula plena meri.

Inducunt frigus, quae venter inanis amara

Et carnosa capit, balnea post epulas,

Et somnus. nisi si iustas exceffierit horas.

**) Hunc versum cum vnde uiginti illis, qui sequuntur, ex LOMMII sententia, sic refinge :

At si quis corpus volet humectare, laboret

More minus solito; balnea crebra petat;

Adcumbens mensae satietur plenius esca,

Et siccas fauces potio multa riget;

Post haec incessu per agros moueatur, eique

Adiectum curet protinus esse cibum.

Ipsas autem escas adlatas conuenit esse

Ex gelidis, pluuiis, irriguisque locis.

5

Is

Vnguatur; posita satietur plenius esca,

Et siccas fauces potio multa riget;

Post- 550

Is contra, qui se volet exsiccare, labores

Immodicos toleret, sustineatque famem,

10

Nec solui in dulces patiatur lumina somnos,

Sed certet longa peruigilare mora.

Vnguatur sine aquis, obiecteturque calor,

Seque vri nimio solis ab igne finat;

Vndis, e gelido quas hausit fonte, lauetur;

15

Primo exercitiis mane oriente vacet.

Nec vero fas est, postquam haec finita fuerunt,

Ad consumendos mox properare cibos.

Hos ipsos autem tulerint loca sicca, necesse est,

Quaeque flagrans aestu sol vehementer coquit.

20

Secundum LINDENII lectionem rescribendum est:

At si quis corpus volet humectare, laboret

More minus solito, balnea crebra petat;

Adcumbens mensae satietur plenius esca,

Et siccas fauces potio multa riget;

Post hanc deinde aliquod spatium decurrere refert,

Nec, somnum ut captent lumina fessa, pati.

Per se etiam prodest, si saepe perambulat agros,

Et multum rapidos fertque refertque gradus.

Primo exercitiis fungatur mane, sed illis

Protinus adiectum non finat esse cibum.

10

Ipsas autem escas adlatas conuenit esse

Ex gelidis, pluviis, irriguisque locis.

Is contra, qui se volet exsiccare, labores

Immodicos toleret, sustineatque famem;

Vnguatur; sine aqua perfundat membra calore;

15

Quam capiet, nimio sparsa sit esca sale;

Vndis,

Postquam exercitium moderatum finiit, illi
 Subiectum curet protinus esse cibum.
 Ipsas autem escas adlatas conuenit esse
 Ex gelidis, pluviis, irriguisque locis.
 Is contra, qui se vult exsiccare, laboret 555
 Plus more adsueto, pertoleretque famem.
 Saepius obiiciat, sed aqua sine, membra calor;
 Sol apricantem non nimius foueat;
 Ex gelido se fonte lauet; post ambulet, atque
 In somnum solui lumina fessa vetet; 560
 Per se etiam prodest, si multum et mane per agros
 Ambulat, et rapidos fertque refertque gradus.
 Si quo exercitio fuerit perfunctus, ab illo
 Ad positas parcat mox properare dapes.
 Has ipsas autem debent loca sicca tulisse, 565
 Quaeque flagrans aestu sol vehementer coquit.

Al-

Vndis, e gelido quas hausit fonte, lauetur,
 Mox exercitiis subiiciatque cibum.
 Hunc ipsum vero tulerint loca sicca, necesse est,
 Quaeque flagrans aestu sol vehementer coquit. 20
 KRAUSII, TARGAE, et VALARTI scripturam, a LINDE-
 NIANA non ita multum diuersam, exprefferis, si legas
 V. 2. Plus more adsueto. Sic TARGA.
 V. 5. Post haec. Sic KRAUSIUS et TARGA.
 V. 14. Suscipiat modicos. Sic TARGA.
 V. 15. Vuguatur sine aquis, okieleturque calori. Sic
 KRAUSIUS et TARGA.
 V. 16. Seque viri nimio solis ab igne finat. Sic KRAU-
 SIUS. TARGA autem et VALARTUS:
 Sol apricantem non nimius foueat.

Aluum constringit, qui saepe diuque laborat;
 Qui, sella residens, otia longa trahit;
 Cui creta, a figuli quae nomine nomen adeptum est,
 Oblinit ex omni parte tegitque cutem; 570
 Qui, quum olim multis epulis confueuerit vti,
 Nunc mensae inferri fercula pauca iubet;
 Qui, bis ante die ventri dare pabula suetus,
 Contentus nunc est se saturare semel;
 Exiguo qui potu vtens, numquam accipit hunc, ni,
 575

Quantum est sumturus, sumserit ante cibum;
 Qui, postquam satis est esca potuque refectus,
 Alta permittit membra quiete frui.
 Soluit eam, si quis sueto plus ambulat, et plus
 Escarum, solitus quam fuit ante, capit; 580
 Si, postquam absuntus cibus est, et mensa remota,
 Legitimo corpus more modoque mouet;
 Si mensae impositas coenas, vel prandia, carpens,
 Immiscet sumtis pocula crebra cibis.
 Hoc quoque scire opus est, vomitu quod stringitur
 alius 585

Laxa, et laxatur, quae modo stricta fuit.
 Nec minus a vomitu resoluta adstringitur aliis,
 Si mox post captas incidit ille dapes.
 Idem autem, longo veniens post tempore, ventris
 Portam, si fuerit clausa, patere facit. 590
 Iam, quod ad aetates spectat, iejunia longa
 Prae reliquis mediae pertolerare valent.
 Sustinet illa minus iuuenis, minimique ferendis
 Par puer est, et quem curua senecta premit.
 Sed

Sed quo quisque minus perfert, hoc saepius idem 595
Ingesto debet se recreare cibo.
At magis et crebro et pleno nutrimine nullum,
Quam laeto increscens augmine, corpus eget.
Et pueris, et iis, quos vrguet sicca senectus,
Prodest, si calida saepe lauantur aqua. 600
Quod pueri potent, vinum dilutius esto:
Plus habeant senibus vina bibenda meri.
Sed nulla aetati puerili, nulla senili,
Res apta est, flatus quae generare solet.
Non magni refert exponere, qualia sumat, 605
Et quo curetur firma iuuenta modo.
Cui iuueni fluxit, plerumque adstringitur aluus,
Quum sparsum canis incipit esse caput:
Rursum adolescentes qui ventrem habuere morantem,
Illis haud raro, quum senuere, fluit. 610
Verum aluus melior iuuenili in corpore fusa est,
Et contra strictam praestat habere senes.
Quatuor illa etiam, per quae reddit annus in orbem,
Tempora iudicio sunt reputanda tuo.
Mensibus hibernis sit largior esca, minorque 615
Potio, sed refert, hanc satis esse meram.
Multo vescendum pane est, et carnibus, hisque
Elixir potius, sed modicum sit olus.
Adsumenda semel, nisi si compressio, ventrem
Occludens, nimia est, sunt alimenta die. *) 620
Pran-

* Secundum LOMMIUM hoc distichon sic exprimendum fuit:
Adsumenda semel, nisi forte solutior altius
Id fieri prohibet, sunt alimenta die.

Prandia si capis, haec et parua, et sicca, remotis
 Carnibus et potu, sunt capienda tibi.
Omnibus vtendum est calidis, vel talibue, vnde
 In corpus possit plurimus ire calor.
Quod si, an concubitus liceat miscere, requiris, 625
 Non aequa tunc est perniciofa Venu.
Vere cibo paullum demendum, potio vero
 Augenda est, sed sint vina meraca minus;
 Nutrimenta magis caro dent et oluscula; sensim
 Carnis in elixae transeat affa locum. 630
Quod vero ad coitum celebrandum spectat, is anni
 Tempore nullo alio tutior esse potest.
Quum vero incumbit campis arentibus aestas,
 Crebrior et potus debet et esca dari.
Atque hac de causa non solum coena paretur, 635
 Verum opus est etiam prandia iusta capi.
Tunc carnes et olus sunt esca aptissima: potum
 Praestet quam minimo limpha remixta mero,
 Ut neque feruentes in corpore concitet aestus,
 Et sicco vrentem pellat ab ore sitim: 640
Artus, in gelido mersati fonte, lauentur:
 Quam carpas auido dente, sit affa caro.
 Frigidus esse cibus debet, vel talis, vt inde
 Miti te refici frigore percipias.
Vt vero refert alimentis crebrius vti: 645
 Sic paruum illorum conuenit esse modum.
 In primis autem, quando vindemia feruet,
 Et vacuos replent dulcia musta lacus,
 Quando nunc calor est, nunc vrguent frigora, coelo
 Incerto, morbis corpora nostra patent. 650
 Ergo

Ergo tunc, nulla munitus veste, pedesque
Nudatus, caueas, progrediare domo.
Atque hoc praeceptum memori tibi mente repostum
Praecipue maneat frigidore die.
Nec molles noctu sub diuo ducere somnos 655
Auisis, quin vestes vndique membra tegant.
Iamque cibi fas est plus paullo adsumere : potus
Imminui debet, sed magis esse merus.
Sunt, qui poma putent noxas adferre, sed errant.
Nulla potest illis tutius esca capi. 660
Sed toto plerumque die sine more vorantur,
Portio nec densis demitur vlla cibis.
Ipsa igitur per se sunt valde innoxia , verum
Quam cuncta efficiunt fercula , summa nocet.
Nec tamen, importent quamuis incommoda nulla, 665
Accipias alio saepius illa cibo.
Tum, quoties ventrem pomis repleueris , escae,
Quae densa est, refert imminuisse modum.
Nec vero auctumno, nec, quum aestas torrida venit,
Vtiliter Veneris concelebratur opus. 670
Est tolerabilius tamen auctumnalibus horis:
Aestiuis penitus, si potes , abstineas.

CAP. III.

Nunc sequitur, vitae ut tradam praecepta regendae
His, qui parte aliqua debile corpus habent.
Cui caput infirmum est, bene si concoxit, id, orto 675
Mane, fricet manibus leniter ipse suis. *)

C. 2

Num-

***) Ex LOMMII mente scribendum est:**

Mane, manu leviter perfricet ipse sua,

Numquam id, si fieri licet, vlla veste tegatur,
 Et forsex crines tondeat vsque cutem.
 Vitanda omnino est luna , et studiosius ante, *)
 Totis quam radiis obuia fratrib eat. 680
 Sed numquam magis huic monito auscultare necesse
 est ,
 Quam modo demissos ventre coquente cibos. **)
 Si quis alit fusum per colla humerosque capillum ,
 Nulla dies veniat, quin bene pectat eum.
 Ambulet is multum, sed tectis, si licet, absit, 685
 Atque his, quae rutilo sol videt ore, locis. ***)
 Praesertim ardori timeat se credere solis, †)
 Idque sub hac faciat conditione magis ,
 Si modo ventriculum repleuit largius esca ,
 Et dulcis traxit pocula multa meri. 690
 Vnguentis potius lente perducta linantur
 Corpora , quam calidis mersa lauentur aquis.
 Numquam autem ad flamمام, quam voluit lucidus
 ignis ,
 Non numquam ad prunas vnguat alipta cutem.
 Bal-

*) Vulgatam scripturam exactius reddideris, si leges:
Conducit lunam vitare, et cautius ante.

**) Vulgaris lectio hoc distichon sic refinig iubet:
Quum vero ventrem modo fercula grata replerunt ,
E tectis vsquam progrediare , caue.

***) Secundum LOMMIUM hoc distichon ita legi oportet:
Ambulet is multum, sed ubi loca tecta dabuntur ,
Nec, radios Titan quo iaculatur, eat.

†) EX LOMMII, KRAUSII, et VALARTI sententia , re-
scribendum est :
Sed foliis nimios ardores vitet ubique.

Balnea si petiit, primum tepidaria visat, 695

Et membra irroret sudor operta breuis.

Vnctus ibi, mox in calidaria transeat, in queis,

Vt sudore artus immaduere leui, *)

Non se demittat folio, sed corpore toto

Per caput infusis subiiciatur aquis. 700

Primum autem calidas has refert, deinde tepentes,

Tum gelidas, plena suppeditare manu.

Per tempus vero non paullo longius arcem,

Quam reliquas partes corporis, vnda riget.

Quum bene perfusum caput est, moderatior illud 705

Frictio, paullisper continuata, leuet.

Post hanc id tergant tonsis mantilia villis,

Et, satis vt tersum est, vnguina pura linant.

Nil plura infirmo capiti maioraque spondet

Commoda, quam gelidae crebrior usus aquae. 710

Ergo, cui tale est, nullum patiatur abire,

Quum sitit aestiuo sidere terra, diem,

Quo non, supponens bene largo menta canali,

Illud perfundat fonte cadente diu.

Atque etiam, quum quis non lotus membra perunxit,

Si, ne percipiat frigora dura, timet, 715

Omne quidem corpus gelidae committere limphae

Parcat, sed semper perluat illa caput,

Quod,

*) Secundum LOMMIANAM et KRAUSIANAM lectionem
hoc distichon sic exprimere debui:

Postquam heic est vncus, mox ad calidaria perget,

In queis sudoris plurima gutta cadet.

Quod, reliquas partes quum tangi nolit ab vndis,
 Prono in subiectam pondere vergat humum. 720
 Sic ad ceruices aqua permanare vetatur,
 Quam capiti riuo siphonante iacit.
 Dum fluit ad faciem, manibus regerenda subinde est,
 Ne quid vicinis partibus officiat.
 Sed super haec modicos opus est adsumere, quorum 725
 Coctio sit stomacho non operosa, cibos:
 Idque die faciat bis, si ieunia ventris
 Languidius reddunt debiliusque caput.
 Sin huic ex illis nil noxae sentit oriri,
 Accipiat potius fercula iusta semel. 730
 Adsidue vinum dilutum, lene, bibatur: *)
 In pura minus est utilitatis aqua.
 Nam, pota hac sola, grauius quum cooperit olim
 Esse caput, nil, quo confugiatur, erit.
 Nec vinum, nec aqua est ex toto commoda semper: 735
 Vim medicatam apta praestat vtrumque vice.
 Scribendum nihil est; librorum lectio cesset;
 Nec contenta opus est voce replere domum.
 Haec vtique a coena fugiantur. Corpore pleno,
 Vix aliquid tacita voluere mente licet. 740
 Nec vero noxis quidquam grauioribus umquam
 Adficit infirmum, quam vomitare, caput.

CAP. V.

Vt vero his, capit is qui debilitate laborant,
 Vsus aquae gelidae commoda magna parit:
 Sic

*) EX LOMMIT sententia scribi oportuit:
 Adsidue vinum leue dilutumque bibatur.

Sic prodest etiam, tumido queis lumine fusa, 745
 Irrigat adsidue lacrima salsa genas;
 Queis crebro nares opplet, vocemque retundit,
 Et tussim siccum crassa coryza mouet;
 In quorum fauces, vel pulmonem, acrior humor
 Stillare ex capitis vertice saepe solet; 750
 Quorum tonsillas mox inflammatio torquet,
 Momento quoties vertitur aura leui.
 Nulla dies igitur conspergat lumine terras,
 Quin his perfundat frigida limpha caput.
 Nec caput hoc pacto solum curetur: eadem, 755
 Quam multam excipiunt, os foueatur aqua.
 Et magis auxilii genus hoc reuocetur in usum,
 Quum coelum vitiat vis inimica noti.
 Quum vero nulli non aut contendere mentem,
 Aut agitare, cibis ventre scatente, nocet: 760
 Tum grauis in primis noxa inde redundat in illos,
 Qui capitis tangi saepe dolore solent,
 Vel quos confueuit cruciare arteria, vel queis
 Adfectus alii quilibet ora tenent
 Queis sunt opportuna coryzis atque catarrhis 765
 Corpora, defendant haec ab utrisque malis,
 Si loca quam minime commutabuntur aquaeque;
 Si caput, immodico sole flagrante, tegent,
 Ut ne incendatur, neu, si qua repente coorta
 Nubila sunt, subitum frigus id adficiat; 770
 Si, postquam ex pleno concoctio facta ciborum est,
 Ieiunis caluam radere moris erit;
 Si nihil, impleto dapibus modo ventre, legetur,
 Nec scribendo operam sedula dextra dabit.

C A P. VI.

Quos vero exercet profusio crebrior alui, 775
 Velocem debent exagitare pilam,
 Aut alios, huic qui similes sunt, ludere ludos,
 Ut iusto moueant brachia lenta modo;
 Quum stomacho non dum cibus est ingestus inani,
 Lenem per campos ferre, referre, gradum; 780
 Numquam se rapidi radiis exponere solis,
 Nec calida adsiue tinguere corpus aqua;
 Sic vngui, vt nullis manent sudoribus artus,
 Simplicibusque cibis exsaturare famem;
 Sed minime his vti, qui multo iure redundant, 785
 Quiue cito reddi ventre fluente solent.
 Ergo nec possunt impune legumiua sumi,
 Et multum noxae molle minatur olus.
 Ut dicam paucis, omni, concoctio cuius
 Haud tarda est, refert abstinuisse cibo. 790
 Res nulla iccirco plus, quam venatio, duri
 Pisces, et pecudum conuenit affa caro.
 Non vlo vinum conducit tempore falsum:
 Ipsi adeo tenui plurima noxa subest;
 Nec dulci vtendum est: austерum, et plenius, idque 795
 Non nimis annosum, guttura sicca riget,
 Ac si forte volent mulsi potare liquorem,
 Melle ex decocto conficiendus erit.
 Si non perturbat gelida illis potio ventrem,
 Ante alias omnes haec leuet ipsa sitim. 800
 Offensae in coena si quid sensere, vomatur,
 Quumque dies venit postera, fiat idem.

Sed

Sed quum surrexit lux tertia, pondere panem *)
 Exiguo, vinum quem madefecit, edant,
 Vuamque ollarem, aut oleam, quam defruta condunt,
805
 Resque alias simili de genere adiiciant.
 Quae postquam fecere, redire licebit ad illum
 Viuendi morem, quem tenuere prius.
 Sed semper, quum venter adhuc potuque ciboque
 Turgidus est, prodest desidiosa quies. 810
 Nec fas est villas in res intendere mentem,
 Aut quoquam segni quamlibet ire pede.

CAP. VII.

Laxi intestini si cui sunt saepe dolores,
 Quum flatus fere sint fons et origo mali,
 Hoc agat, ut stomachus semper bene concoquat
 escas, 815
 Nec ventrem immeritum cruda faburra grauet.
 Illi igitur clara libri sunt voce legendi,
 Atque aliis aptis membra mouenda modis.
 Corpus aqua, e calido quae manet fonte, lauetur,
 Et calidus potus sit, calidusque cibus. 820
 Denique, ne laedant vehementia frigora, cura
 Sit princeps; absint dulcia quaeque procul,

C 5 At-

*) LINDENII et VALARTI lectionem expresseris, si
 hunc versum cum tribus proximis sic refingas:
 Sed quum coelo umbram pepulit lux tertia, panem
 Ex vino exiguum mandere dente iuuet,
 Aut oua, ex oleae succo bene fricta, sapaue,
 Ex rebusque aliis indolis huius, edant.

Atque a coenantis mensa exsulet omne legumen,
Et quidquid flatus progenerare solet.

CAP. VIII.

Ventriculus vero quibus est infirmior, illis 825
Insigne auxilium lectio clara feret.
Post hanc progressi paullum spatientur in agro,
Et feriant, reduces in sua tecta, pilam,
Vel vibrent arma, aut aliud quodcumque capessant,
Corporis exercens membra superna, genus. 830
Non aqua, sed calidum, ieuno ventre, bibatur
Vinum; sumantur bis alimenta die,
Hac sub lege tamen, mala ne concoctio fiat,
Quae bona si non est, sunt capienda semel.
Tenuia vina bibant austeraque: potio, pastus 835
Quem recipit venter, frigida sit potius.
Sed stomachum infirmum certis cognoscere signis,
Quae breviter nunc sunt commemoranda, datur.
Decolor inducto facies pallore notatur,
Et turpis macies lurida membra tenet; 840
Vrguet praeterea circa praecordia magnus,
Et qui consuevit saepe redire, dolor;
Nauseaque accedunt et crebra cupido vomendi,
Et saepe inuito redditur ore cibus;
Ac fere, quum non dum cibus est adsumptus, acuta 845
Tormenta inuadunt discruciantque caput.
Qui numquam affectus tales patiuntur, eorum,
Scire licet, stomacho roboris esse satis.
Nec fas est nostris vtique aegris credere, qui, quum
Aut limphas gelidas, aut cupiere merum, 850
In-

Insontem haud dubitant stomachum adscusare, suisque
 Inde patrocinium quaerere deliciis.
 Si stomachus tarde coquit, et praecordia motis
 Ex ista causa flatibus vsque tument,
 Aut si importunus, qui faucibus incubat, ardor 855
 Consuevit crebram nocte ciere sitim,
 Per tenuem cyathi duo, vel tres, ante bibantur
 Siphonem, corpus quam premat alta quies.
 Insuper, acceptas qui tarde concoquit escas,
 Is clara libros voce subinde legat; 860
 Dein lento incedat pede, tum vel membra perunguat,
 Vel calido fusis fonte lauetur aquis.
 Praeterea adsidue potentur frigida vina,
 Et post ingestum potio magna cibum,
 Sed sifho, vt supra praecepi, pertrahat illam, 865
 Tum, quidquid potum est, frigida claudat aqua.
 Cui cibus in stomacho consuevit acescere, limphas
 Ante hunc egelidas hauriat, atque vomat,
 At si queis ex hoc imi turbatio ventris
 Incidet, vt crebro stercore foeda fluant, 870
 His, quoties teter fluxus cessauerit, omnes
 Ante alias potus frigidus aptus erit.

CAP. VIII.

Si queis neruorum consuerunt esse dolores, *)
 His affecta omni pars agitanda modo est.
 Nec

*) Si vulgatam scripturam admittis, hunc inter et proximum versum hos duos insere:

(Quod fieri dupli conditione solet,
 Seu podagra articuli vexantur, fine cheragra).

Nec metuant illam duro obiectare labori , 875

Et frigus cogant saepius acre pati.

Nil tamen istorum faciant, vrguente dolore.

Prima et praecipua est tunc medicina quies.

Concubitus fugiant ex toto gaudia. Nullo

Non ex his oritur tempore noxa grauis. 880

Rite in ventriculo coctas heic, sicut in omni

Corporis adfectu, conuenit esse dapes.

Nam res nulla magis laedit, quam cruda faburra,

Ex male concoctis adcumulata cibis.

Et, corpus quoties offendit, protinus illud 885

Sentire in primis pars vitiosa solet.

Vt vero vitio prodest concoctio cuius: *)

Sic aliis frigus rursum, aliisque calor.

Sed quoniam neutrum conductit ubique, necesse est

Pro cuiusque habitu corporis illa sequi. 890

Frigus ei, corpus validis cui viribus aeui

Fractum est, et tenui, vulneribusque nocet.

Praeterea laedit praecordia, noxaque multa

Intestinorum nascitur inde tubo.

Vesicae, coxis, scapulis, genitalibus, ossi, 895

Denti, auri, neruis, officit et cerebro.

Nec satis hoc: obiecta illi pallescit, et aret,

Et dura euadit nigraque, summa cutis.

Atque ex hoc artus exsanguis concutit horror,

Et gelidus currit dura per ossa tremor. 900

At bene frigus idem facit his, queis laeta iuuentus

Floret adhuc, et qui corpora plena gerunt.

Est-

*) Secundum vulgatam scripturam lege:

Vt vero occurrit vitio concoctio cuius,

875 Estque erecta magis mens, atque ingesta vigore
 Fercula ventriculus viuidiore coquit,
 Quum frigus liquidi dominatur in aëris aula, 905
 Atque aliquis prohibet, ne penetretur eo.
 880 Nec soli capiti gelidae perfusio limphae,
 Verum etiam stomacho, commoda magna parit.
 Articulosque, dolor quos torquet, saepe reuertens, *)
 Si sunt expertes vlceris, illa iuuat. 910
 Ac si rubra cutem tenet inflammatio summam, **)
 Nec dolet, haec ab ea grande leuamen habet.
 885 Sed quidquid nimio noxas a frigore sentit,
 Illi praesidium est auxiliumque calor.
 Nec minus is lippis prodest, ita, si dolor absit, 915
 Nec faciem falso lacrima rore riget.
 Contractosque etiam neruos solatur, et illa
 Vlcera praecipue, quae facit acre gelu.
 Ac membris sanum quoque viuacemque colorem
 Praefstat, et vrinae flumina larga mouet. 920
 Si nimis est vehemens, carnes languore resoluit,
 Emollit neruos, debilitat stomachum.
 895 Numquam autem maius frigusque calorque periculum,
 Quam subita insuetos quum tetigere, creant.
 Namque aër gelidus lateris pungente dolore, 925
 Atque aliis vitiis, corpora nostra petit.

Lim-

*) Vulgatam scripturam sic exprimes:

Insuper articulos adfectos atque dolores.

**) Secundum vulgatam lectionem hic versus cum sequente ita refingi debet:

Praeterea que etiam, si quis rubicundior aequa est,

Nec dolet, hic ab ea grande leuamen habet.

Limphaque, quam gelidis sitiens e fontibus hauris,
 Turpibus a strumis colla tumere facit.
 Aëre sub calido stomachus male concoquit escas,
 Nec nocturna quies lumina fessa leuat; 930
 Sudores olici manant, morbisque malignis,
 Qui populum vastant, ianua lata patet.

CAP. X.

Restat, ut exponam, quae sint seruanda, tremendam
 Quum vulgo spargit pestis acerba luem.
 Ergo si quis erit non dum correptus ab illa, 935
 Sed merito metuet, tutus ut esse queat,
 Is, patriam fugiens, peregrinas tendat in oras,
 Aequoreasque cita puppe pererret aquas :
 Quod res si qua vetat fieri, gestetur, et ante
 Aestum sub diuo lene capessat iter, 940
 Et corpus dextra molli placidaque perunguat :
 Tum caueat, nimium membra fatiget opus,
 Utque adsumtorum bona sit concoctio, curet,
 Frigore nec laedi se grauiore finat.
 Aeque etiam magnos fugiat tolerare calores, *) 945
 Pugnisque abstineat, quas Venus alma mouet.

In

*) LINDENIUM et VALARTUM qui sequi malet, hunc
 versum cum quatuor illis, qui proxime sequuntur, sic
 reddat :

Aestum etiam et Veneris blandae commercia cautus
 Vitet, se multo contineatque magis.
 Si graue corpus erit, neque lectum mane relinquat.

In primis autem se continuisse necesse est,
 Si grauitas quaedam corpora lassa subit.
 Tunc neque de tepido se tollat mane cubili,
 Nec pedibus nudis audeat ire foras. 950
 Et minime id faciat mox post, quam pabula coepit,
 Aut artus fouit fonte calentis aquae.
 Siue cibis nullis gustatis, siue replete
 Ventriculo, vomitus elicuisse nocet.
 Et minime tutum est aluum mouisse moraptem:
 Stringenda est adeo, sponte soluta sua. 955
 Expediet potius, si corpus mole grauatum
 Humorum nimia est, abstinuisse cibo.
 Sed super haec etiam vitari balnea debent,
 Et ne praelargo flumine sudor eat. 960
 Nec prodest somnos oculis concedere, quum sol
 A meta spatio distat vtraque pari.
 Praesertimque huius praecepti obliuio mentem
 Non capiat, captus si cibus ante fuit.
 Sed quod ad hunc spectat, melius sibi consulet ille,
 Qui semel instituet se satiare die. 965
 Insuper et modicum refert adsumere, cruda
 Ne primas onerent adcumulata vias.
 Alternis autem modo aquam, modo vina, diebus
 Conuersa ducant guttura sicca vice. 970
 Queis bene seruatis, ratio omnis cetera victus
 Quam minime est alio constituenda modo.
 Praecipue vero sunt haec facienda per illas
 Pestes, quas austri concitat aura grauis.

Prae-

Praescriptas leges etiam alto pectore condat, 975

Per loca quisquis iter tunc peregrina facit,
Seu proprias sedes, lue iam grassante, relinquit,
Siue alias, coelum quas graue vexat, adit,
Ac, si quid prohibet, ne seruet cetera, vni
Alternas saltem seruet aquaeque vices.*)

980

* Secundum vulgatam lectionem hoc distichon in se-
queñs tetraстichon mutari debet :

Ac, si quae prohibent, ne seruet cetera, causae,
Saltem omni refert abstinuisse cibo:
Nec non et, supra quas dixi profore, vini
Seruare alternas debet aquaeque vices.

A. CORN.